



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

V. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Templin verschiedene Besitzungen,
am 14. Februar 1325.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54745](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54745)

vnd vnse Stede Fredelände vnd Brandenburgk habent sonderliken gelawet vnd ere Brieffe darob gegeben. Dese Brieff ist gegeben to Templin, na der Borth Gades dufend Jahr, driehundert Jahr, in dem twinttigsten Jahre, des Middewekens na Sontē Michaelis dage, des hilligen Engels.

Nach einer neuern Copie.

V. Markgraf Ludwig bestätigt der Stadt Templin verschiedene Besizungen,
am 14. Februar 1325.

Ludovicus, Dei gratia Brandenburgensis et Lusatie Marchio, Comes Palatinus Rheni, Dux Bavarie, Sacri Imperii Archicamerarius, Fidelibus suis et dilectis Consulibus ceterisque suis Burgensibus in Templin, presentibus et futuris, Gratiam suam et ad rerum memoriā subscriptarum etc. Ad hoc nostre mentis versatur cogitatus, quomodo subditis nostris quietem et fructum cum voluntario nostro labore continue procuraremus. Ad ampliandum ergo vestrum et civitatis nostre predictae bonum statum fatemur et recognoscimus literas per presentes, quod cum matura deliberatione dedimus et per presentes donamus vobis atque Civitati proprietatem omnimodam ville Arnestorpe cum pleno jure Civitatis pacifice possidendam. Dedimus insuper et donamus vobis ac Civitati in proprium sylvam, que dicitur Buchholt, continuam sylve Civitatis ultra fluentum versus Vitmanstorp, cum universis intra sylvam eandem contentis, possidendam pacifice et jure civitatis perfecto. Damus etiam vobis et Civitati in proprium pratum Lebusck cum omni utilitate atque fructu quiete omni tempore possidendum. Damus quoque vobis et civitati in proprium sylvam Petersdorp cum universis rubetis et lacis, que dicuntur Elslaken, et cum sylvis Buchholdt, sitis inter villas Petersdorp et Mildebratsdorp versus civitatem, et cum sylva Ahrennest cum omni jure civitatis possidendam pacifice omni tempore et quiete, sine omni inquietatione nostra ac nostrorum quorumvis officiatorum. Renunciantes predictis omnibus et singulis, nec non omni juri, quod nobis ad eadem competeat, renunciatione debita et solenni. Et ut premissae nostre donationes, rite et liberaliter in vos transmissae semper vobis et Civitati maneant inconcussae, has literas super eo confici et Sigilli nostri robore jussimus ex certa scientia communiri presentibus nobili viro Dno. Gunthero, comite de Lindow, Honorabili viro Dno. Segero, preposito Stendaliensi, Strenuis viris Thiderico de Kerkow, Hermanno de Wolkow et Ottone de Rerder, militibus, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis. Actum et Datum Prentzlow per manum Hermanni de Luchow, anno Domini Millefimo Trecentesimo Vicefimo quinto, feria quinta proxima ante Dominicam Esto Mihi.

Aus einer Copie.